





21

1730, 20

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANVS,  
JO. PHILIPPVS  
*Streit*, JCTVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-  
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

---

ERFORDIÆ,  
Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.



Vocabulum servitutis quandoque opponitur juri naturali, §. 2. *inst. de jur. person.* ubi dicitur quod sit *constitutio juris gentium, quâ quis dominio alieno contra naturam subijcitur.* Id est contra libertatem primâ naturæ constitutione permissam *Zæf. ad §. 2. n. 5.* Quandoque servitus significat jus, quo res aliena, est in dominio, aut prædium alienum servit non domino, quæ in genere definitur, quod sit jus in re alienâ alicui constitutum, vi cujus libertas, domino aliâ in re suâ competens, minuitur, ita ut in commodum alterius quid in suo pati tenatur, vel non facere. Alii dicunt, quod sit jus quoddam prædio in hærens, ipsius utilitatem respiciens, alterius libertatem vel jus diminuens. Alii breviter dicunt, est jus prædii, quo ei alienum prædium servit, contra jus commune. *Jus loco generis positum capitur pro qualitate.* Nam servitutes in hærent prædiis, ut accidentia subjectis: unde in *L. quid aliud 86. ff. de V. S.* nihil aliud dicuntur esse jura prædiorum, quam prædia qualiter se habentia. *Zæf. ad Tir. ff. de servit. n. 1.* Dividitur verò servitus divisione immediata

diata in realem seu prædialem, & personalem. Realis est, cujus subjectum activum immediatum est prædium, sive ut alii definiunt, quæ proximè respicit utilitatem prædii, seu quæ à Prædio debetur prædio. Personalis servitutis subjectum activum immediatum est persona, sive, ut alii loquuntur, quæ proximè respicit utilitatem personæ. Servitus realis dividitur in affirmativam & negativam; illa eò tendit, ut dominus prædii dominantis quid in alieno facere possit. Negativa, eò tendit, ut dominus prædii servientis in suo quid omittere teneatur. Porro dividitur in continuam & discontinuam. Illa est, cujus actus secundus est continuus, sive quæ continuò utilis est prædio dominantis, quò pertinent servitudes, tigni immittendi, oneris ferendi, altius tollendi &c. Discontinua, cujus actus secundus est discontinuus, sive quæ non continuò utilis est prædio dominantis, quo pertinent, iter, actus, via &c. Insuper servitus dividitur in Urbanam & Rusticam. Urbana est, quæ debetur prædio usum Urbanum habenti. Rustica, quæ debetur prædio usum rusticum habenti. Quæ denominatio semper à dominantis prædio, tanquam potiori desumenda, non attendendo quale sit prædium serviens. Species servitutis Urbanæ plures occurrunt, ut patet ex *tit. inst. Digest. & Cod. Servitudes Rusticæ sunt: Iter, actus, via, aqueductus, aque haustus, pecoris ad aquam appulsus &c.* Servitus aqueductus est jus aquæ manantis, cujus causa perpetua, per fundum alienum ducendæ, canalibus, fistulis, aut rivo. *L. 3. §. 5. & L. cui per fundum 8. ff. de aqua quotid. & est. aquæ, inquam, quæ ad certum fundi dominantis usum pertinet, non quæ etiã aliò ducitur. L. 5. & L. pen. de servit. præd. rustic. L. 1. §. 12. d. 1. de aqua quotid.* Dicitur  
X<sup>2</sup> jus,

*ius, servitus enim non in facto, sed in jure consistit. L. 1. ff. de servit. Urban. L. 2. ff. quemad. servit. amit. quod incorporale est. Bart. cœp. in tract. de servit. Urban. & Rustic. præd. n. 1. Aqua autem vel est publica, vel privata. Ex flumine publico quisque ad suum agrum irrigandum aquam ducere potest, nisi flumen vel sit navigabile, & in usu publico aqua sit, vel cum injuria alterius aqua ducatur. L. 2. de flum. L. 10. §. fin. de aqua & aqu. plu. just. fidej. in colleg. Argentor. ad tit. ff. de servit. Quodsi aqua privata ducatur, omnium, ad quod jus aquæ spectat consensus requiritur. L. 8. seqq. de aqua plu. L. 4. Cod. de servit. & aq. ubi si ab initio non est destinata pars fundi, per quam ducatur aqua, totus fundus servit. L. 21. ff. de servit. præd. rustic. & L. ult. de aqua quotid. nisi is, cui aquæ ductus debetur, per certam fundi partem rivum fecerit. L. 9. servit. vel per eam partem ducere velit, quæ ædificiis, arboribus, aut vineis est occupata. L. 22. ff. d. 1. Si certa pars fundi destinata, vel ad partem certam servitus aquæ ducendæ acquisita, in alium fundum, vel aliam fundi partem, aqua duci non potest, cum non modus, id est, quantitas prædiorum, sed servitus aquæ ducendæ terminum faciat. L. 24. ff. & L. 12. Cod. de servit. & aq. Inter servitutes rusticas est & aquæ haustus, quatenus nimirum ad utilitatem alterius prædii refertur: secus si certæ alicui personæ servitus hæc sit concessa, tum enim personalis erit. Imponitur verò hæc servitus aquæ, quæ duci non potest, & est jus hauriendi aquam de puteo vel fonte confinis prædii, ad necessarios alterius prædii usus. Et in hoc distinguunt hanc servitutem ab aquæ haustu. Ductus etiam continuus est, saltem potentiâ, haustus verò discontinuus, ex quo enim quis semel aquam per*

per fistulas & canales, vel per rivos, vel per quodlibet instrumentum, aut fossam ducere cœpit, ea postea sine ministerio hominum fluit: hauriri autem aqua non continuò potest, quia hominis opera & ministerium requiritur. *Manz. in pr. inst. de servit. præd. n. 35.* Ex cisterna tamen, item lacu, piscina, puteo, si vivam aquam non habeant, aquæ haustus concedi non potest. *L. un. §. 4. de fonte.* Ad si puteus aquam vivam contineat, dubium non est, ex eo aquæ haustum rectè constitui. *L. 1. §. loquitur. de aqua quotid.* quia prope est ut videatur duci ex capite. Non tamen constituitur tanquam servitus ex flumine privato, ut aqua rotâ sive quâ aliâ machinâ hauriatur. *L. 2. commun. præd.* dicta etiam servitus videtur ita constituta, nisi ipse eâ aquâ egeam. Nemo enim tenetur alienam salutem suæ præferre, & ordinata charitas incipit à se ipsa. *L. præscr. 6. Cod. de servit. & aqua.* Quam legem lectione cursoria elegit

NOBILIS ET CLARISSIMVS

DOMINVS

GEORGIVS CHRISTIANVS  
RVDINGERVS,

Natus Leucopetræ die decimo tertio Augusti anno Christi MDCCVIII. Patre omni filiali religioso obsequii cultu mastando Viro Nobilissimo, amplissimo, consultissimoque Dn. GEORGIO CHRISTIANO RVDINGERO Serenissimis Ducibus Saxo-Querfurthensi & Jsenacensi a consiliis Commissionum, nec non Regiminis, Consistorii, & Præfecturæ, quæ Leucopetræ viget Advocato ordinario celeberrimo, Matre vero fœmina honestissima, virtutibusque, quæ sexum fœ-

X 3

ninum

mininum decent, conspicua, SALOME, nata ex stirpe  
LEISTENIANA, quos parentes suos ut Deus T. O. M.  
per seros annos fartos tectos conservare velit orat.  
Avum lineæ paternæ habuit Ictum celeberrimum,  
& Præfecturæ, quæ Leucopetræ est Præfectum Dn.  
GEORGIVM CHRISTIANVM RVDINGERVM, qui  
sibi matrimonio junxit foeminam honestissimam,  
MAGDALENAM SOPHIAM, natam ex stirpe MEISE-  
LIANA, aviam suam dilectissimam. Inter ascenden-  
tes lineæ maternæ nominat avum plurimum reveren-  
dum, nec non doctissimum Dn. M. JOACHIMVM  
LEISTENIVM Illustris Augustei ad Salam Rectorem &  
P. P. ordin. meritissimum, qui eruditione suâ tam in  
Theologia, quam Astronomia, præprimis in elegan-  
tiori stylo, uti ex programmatibus orationibusque  
suis, satis constat, nomen suum æternæ commenda-  
vit gloriæ, Aviam vero SALOME SCHIMPHERIN, pie-  
tate omnibusque virtutibus, quæ tam genus femi-  
nium, quam masculinum ornant, spectatissimam, quip-  
pe quæ omnem curam atque cogitationem, asserente  
Dn. Candidato nostro, non solum ad educationem li-  
berorum, sed ad studia quoque contulit, ut justo me-  
ritoque in numerum eruditarum foeminarum referri  
possit. Tantos enim in studiis præprimis in Theolo-  
gia, Astrologia, & elegantiori stilo avia sua dilectissima,  
cujus mentio in Volumine, quod *der Geschichts-Spie-  
gel* inscribitur, p. 741. facta est, fecit progressus, ut ca-  
lendaria per multos annos sub nomine Friedrich Lin-  
denberg, allusione de ejus nomine sumpta, proprio mar-  
te elaboraverit. Quemadmodum vero Parentes salu-  
ti liberorum suorum consulere consueverunt, ita quo-  
que Parentes sui, ut Christianæ doctrinæ præceptis,  
bonis.



3  
bonisque artibus imbueretur, solliciti fuerunt. Itaque eundem plurimum reverendo, Dn. M. KRAVSIO, p. t. Superintendenti & Consiliario, Ecclesiastico, nec non reverendo Dn. M. MESSERSCHMIDIO, Scholæ Leucopetrensis Rectori dignissimo, erudiendum tradiderunt, quorum fidelitas in erudiendo, ait Dn. Candidatus noster, omnem laudem atque gloriam superat. Deinde iussu parentum suorum in numerum Gymnastarum Weissenfelsensium recipiendum curavit in quo illustri Augusteo Plurimum reverendum Dn. M. REINECCIVM, Consiliarium & illustris Augustei Rectorem meritissimum, Dn. M. LEONEM P. P. ord. Serenissimo Principi Saxo-Querfurthensi & Leucopetrensi a consiliis ecclesiasticis & concionibus aulicis & Dn. M. BVTHNERVM quondam P. P. ord. meritissimum p. t. vero Superintendentem Querfurthensem, nec non Consiliarium Ecclesiasticum, tam publice, quam privatim audivit, qui omnes muneris partes in eum erudiendo bene expleverunt, quapropter illis se semper obstrictum profitetur. Biennio itaque in hoc illustri Augusteo elapso, Lipsiam petiis, ibique Dn. D. GRIBNERI, Dn. D. RECHENBERGII & Dn. D. DINKLERI, quibus omnibus multum debere dicit, scholas frequentavit, quorum industria atque erudita informatio, pro qua gratias, quas potest maximas adhuc persolvit, efficit, ut die 23. Sept. MDCCXXVIII. Dissertationem Juridicam de *Eviditione Doctis*, ab eo conscriptam sub moderamine Dn. D. DINKLERI, eruditorum ventilationi submisserit. Triennio itaque in Academia Lipsiensi peracto, redux in patriam, per annum, & quod excurrit, apud Patrem, per 78. ferè annos Practicum felicissimum, commoratus, sub illius manu ductione Praxin forensensem sibi familiaria-

miliarem reddidit. Tandem ad Electoralem hujatam  
Academiam se se convertit, ac ab Ordine Juridico ad  
Examen Candidatorum admitti decenter petiit, cui lau-  
dabili desiderio annuentes, Textus ex utroque jure re-  
solvendos eidem communicavimus, quos adeo solidè  
enucleavit, & ad Quæstiones in Examine propositas ita  
respondit, ut unanimi consensu, ad edenda ulteriora  
specimina admiffus, & supremis jurium honoribus di-  
gnus judicatus fit. Quare cras, quæ erit 24. Aprilis,  
ad dict. *L. Præses 6. cod. de servit. & aqua.* Lectionem cur-  
soriam, eaque absolutâ, Disputationem Inauguralem,  
de PERICVLO REI VENDITÆ ANTE RESIGNA-  
TIONEM ET IN VESTITVRAM JVDICIALEM JUR.  
SAX. ET AD DOMINIVM TRANSFERENDVM  
NECESSARIAM IN EMPTOREM, horis consuetis, ha-  
bebit. Ad quos Actus solennes Magnificus Dominus  
Rector, nec non Domini Proceres & Cives Acade-  
mici decenter & perhumaniter invitantur. Publ. sub  
Sigillo Facult. Juridicæ XXIII. April. MDCCXXX.



ERFURT, Diss., 1730 (1)

ULB Halle


003 749 266

3



TA → OL





1730, 20 21 3

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANVS,  
JO. PHILIPPVS  
Streit, JCVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-  
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

---

ERFORDIÆ,  
Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.